



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.







A. M. C. C.  
 DISPUTATIO  
 EXERCITATIONUM PHILO-  
 SOPHICARUM XXXVI,

De  
**CAUSA VIRTUTUM**  
 MORALIUM MATERIALI  
 SEU OBIECTO.

Quam,  
 Duce Jehova  
 SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILEMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
 Liberalis exercitiij gratiã defendendam suscipiet,  
**DAVID CUSELIUS**  
 Stetino-Pomeranus,  
 In celeberrimã VVittebergensi Academiã,  
 ad diem 13. Aprilis, horis & loco consuetis.

Plato, in Protagora.  
 τὸ ἠδονῆς ἤτις εἶναι, ἀμα δὲ ἡ μεγίστη.

VVITTEBERGÆ,  
 Typis Iohannis Gormanii ANNO M. DC. XI.







*Reverentiâ, Amplitudine, doctrinâ atq;  
rerum usu Clarissimis Viris,*

**Dn. M. IOHANNI GEORGIO,**

Præposito Treptoviensi ad ripam Talensem,  
ejusdemq; Ecclesiæ Pastori vigilantissimo:

**Dn. CHRISTIANO LUDECO Seniori,**  
Inclytæ Reipub. Stetinensium Senatori fide-  
lissimo:

**Dn. JOHANNI LUDECO** Inclutæ Rei-  
pub. Primislaviensium Syndico dignissimo:

**Dn. CHRISTIANO LUDECO Junio-**  
ri Illustris Dicastrij Stetinensis Ad-  
vocato:

*Avunculo, Patrino & Affinibus, omnibus autem  
patriæ exoptatissimis patribus, Patronis atq;  
Fautoribus suis unicè observandis,*

Hoc γύμνασμα ἠθῶν  
gratitudinis & obser-  
vantiae Symbolum ex-  
hibet

**David Cuselius Stetino-**  
**Pomeranus.**



## PRÆLOQUIUM.



*Legantissime subtilitatis parens Scaliger inquit: Studio & magnanimitate parandum, servandumque regnum literarum, cuius anima est virtus & veritas: Non ambitionibus atque factionibus exercenda conjurationes; quibus aliorum alius distrabentibus sapientia ipsa, quae in medio erat, lacerata est, Exerc. 160. Sect. 3. Ob quam rem, dum pronuper de causâ virtutum Moralium efficiente attentatum fuit, jam omni abjectâ cessatione de eorundem causâ Materiali inquisitionem suscipientes curam eò omnia nostra, ceu ad signum erectam, referamus, ne Nos mancipia faciamus alterius libidinis, Scal. Exerc. 6. Sect. 4. nevé fastidium pro telo, pertinaciam pro muro obiciamus, Idem Exerc. 207. Sect. 25, sed ut res ipsas verumque in rebus veris causas investigemus, Veritatem veritatis gratia indigemus, Fr. Patris, in lib. de spatio Phys. quippè cum Veritas divinum illud sit fermentum, quod in animo Philosophi ita turgere debet, ut neque ab alio capi, neque seipsum capere possit, Scaliger. in lib. de Plant. fol. 196. Ne quis verò hic frustra sit, status hujus disquisitionis prius animo præcipiendus, seu antiè intelligendus, quam discutatur, cum vox Materie non in xōis at πολ) αχōis capiatur, siq; suos præ se ferat labyrinthos, in quos, ut ne induamus Nos, cautio esto: Sumitur autem quandoque pro Subiecto, seu, ut in vulgario usu nomen hoc subit, dicitur Materia In qua, & de hoc inantiè dissertavimus, dum probatum dedimus, virtutis moralis adipale & principale subiectum, quod vocant, Inbesionē, Voluntatem ipsam esse. Sumitur deinde pro Materia Ex qua, seu propriè sic vocitata, quam in peculium quasi datam Entibus quantitatiuis, in peripato tritiis, est, indeque ex facti colligi quit, Virtutem nullam habere materiam, maximè cum etiam conceptis verbis asserat acutiis Scaliger, materiam in accidentibus non reperiri, Exerc. 10. & 325. Sect. 2. Interim tamen ut datur materia quaedam ἀσώματ) & ἡμ) ἀναλογικῆ) ὅ. Exerc. 310. quae accidentibus neutiquam deneganda, Sic & hæc eadem Virtuti quoque assignari citra veritatis jacturam potest. Qualis autem ipsi adscribenda, res plena palestra est: Nos verioribus adhaerentes, intrepidè adfirmamus, esse aliquid (ceriò enim nomine exprimi commodum nequit) in actione, vel subactione, quod permentem & voluntatem tandem movetur, usq; dum Virtus tota nascatur. Sumitur demum pro Objecto seu Materia circa quam, & sic hujus propriè est loci, & de hac impresentiâ ulterius & uberius quid, pro modulo ingenij, in insequentibus thematicis datum sumus.*

### T H E S I S I.

**O**bjectum virtutum moralium est conditionis duplicis, aliud siquidem proprium seu externum, aliud existit commune seu internum: Illud dicitur, circa quod singulae virtutes versantur, indeque varium omninò est, dum alia circa actiones, alia circa affectus occupata teneantur, ac rursus cum illarum & horum plures sint, alia circa iram, alia circa cupiditatem, &c. versentur, sicuti suo loco de hiscè ad sufficientiam dicetur.

II. Hoc commune objectum, vocatur, circa quod ad unam omnes virtutes morales ex a quo versantur, & ex quo in futurum iudicium haberi potest



Obscurum de habitu, anñe & qualis is sit in agente, & est Voluptas & Dolor, seu affectus, lib. 2. Eth. Nic. c. 3: Per illam enim omnes suaves magnamq; habentes delectationem; Per hunc vero injucundi & tristes intel- liguntur Affectus.

III. Ac rem ita se habere, omnemq; moralem Virtutem voluptatem & dolorem spectare, Aristoteles firmamenti & declaramenti loco hisce firmis omnino & invictis utitur rationibus: 1. Quia virtus est vitium fugere, hu- jusq; devitare causas; Causa autem vitiorum, præcipue voluptas sunt & dolor, cum propter illam ut plurimum mala agamus, hoc vero à virtutibus deterreamur. Ergo.

IV. 2. Quia Voluptas & dolor, comes est individuis omnium affectu- um, omnium actionum. 3. Quia habitus animi non nisi ab objectis suis vel bo- nitatem vel indispiscuntur vitiositatem: At enim morales virtutes perfi- ciuntur & corrumpuntur à voluptatibus & doloribus, prout nimirum vel modum in ijs tenemus, vel eundem excedimus. Ergo.

V. 4. Quia omne bonum, tam honestum, quam utile & jucundum, Vo- luptatem adjunctam habet, imò reliqua bona non nisi propter jucundum ex- peti videntur: Et verò virtus circa id, quod omni bono commune est, versari debet. 5. Quia omnes, in universum, homines actiones suas, tum honestas ac in honestas voluptate & dolore metiuntur, licet alij magis, alij minus hoc ipsum attendant.

VI. 6. Virtus, perinde ut & Ars, circa difficiliora versatur, secundum il- lud Veterum scitum, quod difficilia quæq; pulcherrima sint: Omnium au- tem difficilissimum & laboriosiss. Voluptati repugnare & dolori non cedere, unde per plurimos hostibus superatis illecebris tandem Voluptatum victos esse, res est omnium hominum ore frequentata: Ergo virtus circa hac ver- satur, & voluptas atq; dolor omnium virtutem moralium commune obje- ctum sunt.

VII. Ex dictis hisce faciliè unicuiq; qui illa non transitorie ac inquisitive paulum attendit, patescere potest, ad Virtutis studium minimè requiri, ut omnes omnino Voluptates pro derelicto habeantur, sed cum omnes homines tacito nature sensu ad illas ferantur, illæ etiam vite nostre modis bene multis commodent, tam gratæ insuper sensibus nostris, & ijsdem aded arctè junctæ, ut in totum ab ijs abstrahi nequeant; licitum quoq; esse virtutis stu- dioso, illas ipsas expetere.

VIII. His tamen legibus & conditionibus: 1. Ut expetat & prosequatur  
Voluptates



*Voluptas licitas. 2. Ut id justo tempore. 3. Et licito modo. Quod ut planius aliquantum reddatur, allubet sanè hoc in loco paucis integram doctrinam de Voluptate, ab Aristotele in lib. 7. & in lib. 10. Eth. Nic. traditam, reperere, & summatim de definitione, qualitate & differentijs voluptatum agere, quantum fert instituti nostri ratio.*

*IX. Licet igitur veteres Voluptatem definièrint esse generationem sensibilem ad naturam instaurationem: Tamen Aristoteles hanc definitionem hisce potiss. nominibus impugnat, lib. 7. Eth. c. 11. 1. Genus illius nimis angustum adserit esse, quia non omnis Voluptas est generatio, seu est in fieri, ut loquuntur, sed aliqua perfecta sunt operationes, scil. quæ ex natura integrâ & perfecto habitu proveniunt, ut potè à sanitate, vel à virtutibus. & c.*

*X. 2. Negat omnes voluptates esse sensibiles, item omnes ad instaurationem naturam tendere: Cum illud tantum de corporis, hoc verò de promanantibus ex desiderio naturam egentis voluptatibus, ut sunt somnus, quies, potus, &c. verum sit. 3. Quod Voluptas non sit motus, & dependenter nec generatio, hisce comprobatur.*

*XI. 1. Omnis motus fit in tempore, lib. 4. Physic. c. 14. & lib. 6. c. 8: Voluptas autem quandoq; in momento contingit. 2. Omnis motus est imperfectus: At voluptates quadam sunt perfecta, nec aliâ re ad perfectionem suam indigent. 3. Omnis motus est earum rerum, quæ divisionem admittunt: At voluptas est totum quid, nec partitionem admittit, cum non omnis in tempore fiat. Ergo.*

*XII. Commoda autem & congrua Voluptatis definitio talis à Philosopho traditur: Voluptas est operationum seu actionum nostrarum quadam extrinsecus superadveniens perfectio, quæ actiones quodammodo gratiores & jucundiores nobis reddit, lib. 10. Eth. Nic. c. 4. In qua definitione genus est perfectio operationum & actionum.*

*XIII. Nam cum ex Voluptate alicui operationi conjunctâ certò cognoscatur & deprehendatur liquidò, quod eadem operatio perfecta sit: Voluptas merito definitur perfectio operationum & actionum. Per operationes autem & actiones Aristoteles non tantum sensuum operationes, ut sunt videre, audire, sentire. &c. Sed & rationis atq; mentis intelligit.*

*XIV. Differentiæ generi duæ adduntur. 1. Quod Voluptas dicitur perfectio extrinsecus adveniens; Quæ ratione illa discriminatur tum à formali rerum causâ, quæ est interna rei perfectio, tum ab habitu, qui itidè res, quib. inest, perficit: Nâ voluptas est q. finis extrinsecus, ad ipsam operationem accedens, & ad*



instar complementi cuiusdam, perinde ut Medicus est causa extranea san-  
tatis, & pulchritudo est proprium in  $\pi\alpha\iota\varsigma$  & corporis sani, florentisq; etatis.  
XV. Altera differentia est, quod Voluptas operationes reddit gratiores, id  
quod fit, 1. quando potentia, à quâ actio proficiscitur, sensus scilicet vel in-  
tellectus, optimè affecta & disposita est: Vnde etiam nulla voluptas est æ-  
terna, sed tamdiu durat ac viget, quamdiu potentia in objectum conveni-  
ens operatur, & objectum ipsum per durat, dispositumq; est: 2. Quando obje-  
ctum eius operationis est optimum, pulcherrimum, & præstantiss. adde si &  
rarum & novum.

XVI. Porro, quod qualitatem spectat Voluptatum, de eâ magna semper  
inter Philosophos controversia agitata fuit: Aliqui enim ejus fuere opinio-  
nis, omnes voluptates esse bonas, quin imò non solum bonas, sed & summum  
in ijs locare bonum, haut magno in discrimine posuere, ut Epicurus & Eu-  
doxus; Alij contrà statuere, omnes esse malas & perniciosas, idq; vel seridò  
factitarunt, ut Stoici, vel simulate, ut Platonici; Alij deniq; docuere, ali-  
quas quidem voluptates esse bonas, plerasq; autem malas.

XVII. Sed, uno verbo, hi omnes partim absurdi, partim falsi fuere, ut  
res est manifestaria ex ijs quæ contrà affert Aristoteles in lib. 7. Eth. Nic.  
c. 11. & lib. 10. c. 1. & seq. Vera autem & germana de voluptate sententia  
hiscè tribus in universum comprehendì potest adsertionibus, 1. Aliquæ volu-  
ptates rei in veritate bonæ, neq; omnes malæ sunt, partim quia opponuntur  
dolori, qui malus est, partim quia vir bonus potest illas expetere, & jucun-  
de etiam vivere lib. 7. Eth. Nic. c. 13.

XVIII. 2. Non solum animi, sed & corporis voluptates bonæ sunt, id quod  
ex contrario illarum patet, dum dolores corporis sunt mali, & non nisi per  
accidens boni, quando scilicet per illos medicina corpori adhibetur, aut ali-  
us finis bonus respicitur, Ibid. c. 14. 3. Voluptas dici aliquomodo potest sum-  
mum bonum, scil. ea, quæ ex actione virtutum promanet, at non simpli-  
citer omnis, tum quia vir bonus à multis voluptatibus abhorret, tum quia  
maltæ, in virtutum etiam actionibus, non voluptatis causâ, sed alium ob  
finem fiunt.

XIX. Demum quoad genera voluptatum, sunt hæc objecti ratione alia A-  
nimi, quæ mente seu sensibus interioribus percipiuntur, & habitus sequun-  
tur mentis: Alia Corporis, quæ sensibus exterioribus percipiuntur, corpusq;  
suavè per omnia adficiunt, unde & secundum numerum sensuum subdivi-  
duntur, ut alia sunt visus, alia auditus. & c.





XX. Illa, licet omnigenis sint modis hisce præstantiores, & quia percipiuntur ex rebus naturâ suâ jucundis, & quod illarum excessus vitiosus esse potest nullus: Tamen has potiss. sectamur, tum quia sensus afficiunt magis, tum quia dolor corporis natura molestus est, & hunc omnes à nobis repellere studemus; Existimamus autem optimam ejus medicinam esse voluptatem, cum semper contraria contrarijs curentur.

XXI. Ratione verò qualitatibus, voluptates alia bona sunt & expetendæ, quæ scilicet comitantur actiones virtutum: Alia turpes & fugiendæ, quæ profluunt ex actionibus turpibus & vitiosis; Alia deniq; sunt inter mediæ, quæ per se nec laudem, nec merentur vituperium, & ex actionibus naturalibus oriuntur, ut sunt edere, bibere, &c.

XXII. Sic alia sunt secundum naturam, & vulgò humana dicuntur: Alia contra eandem, quippe quæ hominum naturæ adversantur, aliquandiu autem aliquos delectant, & beluina appellantur. Vtrumq; genus subdividitur in communes, quæ per plurimos grata sunt; & in Proprias, quæ aliquos solum oblectant, & uni alicui vel generi animalium, vel genti, vel ætati sunt peculiæ, siquidem trahit sua quemq; voluptas.

XXIII. Ceterum Affectus, quorum fons, origo ac comes est voluptas & dolor, ut supra de hac re verba nonnulla scribamus, sunt motus cordis, à noticia & cognitione objecti excitati, illi dç, aut prosequentes aut fugientes: Sunt igitur ratione objecti actiones, ratione verò corporis passionibus solum, ratione autem facultatis appetentis, modò actiones, modò passionibus.

XXIV. Ac cum à naturâ ipsi sint, siquidem à sensibus proxime oriuntur, quos natura animalibus indidit, ut noxia vitare, & salutaria persequi possent, lib. 2. de An. t. 16. Scal. Exerc. 307, Sect. 2. & 4; Minime in se & toto genere erunt vitiosi, sed tales evadunt per accessiones saltem extrinsecas in malis & vilibus hominibus, quæ à bonis amputandæ sunt & moderandæ, sicq; boni per se illi, bonitate scilicet naturalis; Prout enim conveniunt rationi, aut ab eadem dissentiunt, sic etiam vel boni vel mali moraliter dici queunt.

XXV. Proinde, quæ tales, illi etiam minime è medio tollendi sunt, (imò tolli penitus nequeunt, naturales namq; ut dictum, sunt illi, naturalia verò sunt immutabilia lib. 2. Eth. Nic. c. 1.) sed ad præscriptum virtutis ad mediocritatem reducendi, ac proinde etiam in sapientem & bonum virum sine ulla macula cadere possunt, imò debent: Inde quoniam sat clarè constat, Affectus in seipso minime esse opiniones, licet cum concursu aliarum cogitationum eandem impensè augeant.



**XXVI.** Suntq; Affectus alij Objecti boni, quales quatuor potiss. numerantur, 1. Amor, qui est affectus, quo animus bonum amatum sibi coadunari cupit, & unum quasi cum eo fieri: Estq; affectus hic fortissimus & potensiss. quidem, interim tamen non omnimode damnandus; Proq; habet fundamento bonum cognitum similitudinem habens cum amante.

**XXVII.** 2. Latitia, quæ est affectus, quo animus commovetur ad gaudium ob bonum presens & adeptum, ob cuius adeptionem nobis gaudere rectum videtur. 3. Spes, quæ est affectus, quo cor futurum bonum appetit, seq; ad illud accipiendum quasi preparat. 4. Desiderium, quod est affectus de bono futuro absolute, cuius effectus ijdem sunt, qui amoris in rem absentem concepti, lib. 3. Eth. Nic. c. 2.

**XXVIII.** Alij sunt affectus objecti mali, quales itidem maxime quatuor: 1. Tristitia, quæ fit ex mali alicujus presentia, absentiaq; boni: 2. Ira, quæ affectus est turbulentissimus, quo punire eum, qui lesisse videtur injuriâ, cupimus. 3. Odium, quod appetitus est amovendi rem aliquam. 4. Metus, qui est animi dimissio, propter futuri mali expectationem. Sed, ne saltem in messem Physicorum miseramus, satis.

#### A D J E C T A N E A.

1. Voluptas propter vitam expetit, non contrâ. 2. Ac propter diversitatem temperamentorum alius re aliâ delectatur. 3. Possunt tamen mores contrâ temperamentum in melius ac acrius mutari. 4. Pugna affectuum & rationis unice à lapsu Adamico dependet. 5. Et illi etiam in bruta cadunt. 6. Homo in erim pluribus & vehementioribus affectibus est obnoxius. 7. Propter quas tamen minimè miserrimum animal est, ut Plato & Plutarchus voluere. 8. Amus animantis plus ibi est ubi amat, quàm ubi animat. 9. Aliquis seipsum odio habere potest. 10. Iram non habet, qui mentem non habet.

F I N I S.



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]




Sb.

VD 17










B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



36



A. A. C. C.  
 DISPUTATIO  
 TIONUM PHILO.  
 SOPHICARUM XXXVI,  
 De  
**VIRTUTUM**  
 MUM MATERIALI  
 UO OBIECTO.  
 Quam,  
 Duce Jehova  
 SUB PRÆSIDIO  
**Æ T I L E M A N I**  
 Colleg. Philos. Adjuncti,  
 gratiâ defendendam suscipiet,  
 D O C U S E L I U S  
 Gornianus-Pomeranus.  
 Wittebergensi Academiâ,  
 Aprilis, horis & loco consuetis.  
 orato, in Protagora.  
 Ἡ ἀρετὴ ἐστὶν ἀμαρτία ἢ μεγίστη.  
 WITTEBERGÆ,  
 Gornianis ANNO M. DC. XI.

